



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Annus mensesque.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A alitos & educatos, sine ulla injuria aliquamdiu pacatissime conjunxisse, ac si domestica & ejusdem generis animalia fuissent: verum cum Urfa quodam impetu percita contubernalem Canem dilacerasset, commotum Leonem violati hospitii scelere, in Ursam proruisse, eaque pariter dilacerata meritas pro Cane pœnas exegisse.

VINDICTA. CAP. XVII

Longe vero diversum à superiori significato est, quod ulciscendi studium per Leonem telo confossum plerique pingere instituerunt. Vulneratus enim Leo observatione mira percussorem novit & in quantalibet multitudine unum appetit; & si detur copia, fœdissime lacerat & discerpit. Ferunt Jubæ Maurorum regi præstantis animi juvenem fuisse comitem, dum per deserta Africæ, rerum suarum componendarum studio, rex cum exercitu proficisceretur, ex itinere vero Leonem obviam factum à juvene illo ipso sagitta percussum in sylvam recessisse, anno vero post cum Juba rebus ex voto compositis eadem copias traduceret, eundem illum Leonem observato juvene, à quo vulnerus acceperat, unum illum è tam magno militum numero violentissimo cursu hostiliter aggressum, nulla vi cohiberi potuisse, quin correptum juvenem miserabiliter dilaceraret, nemineq; aliorum laeso ultione ea contentum, dececisse. Pythagorici porro animam Cambysæ regis Ægypti in Leone se deprehendisse ajebant, unde illi animus imperii cupidissimus fuerit, & maxima quæque semper appetierit. Cæterum, hæc quoque potest assignari causa: quod illis temporibus, quibus claruit, neminem in ultionem eo magis propensum fuisse notum est, qui nunquam Ægyptios persequi odiis armisque, & omni vexationis incommodo affligere destitit, eis semper inensus, donec in omni Ægypto rerum potius, sacris omnibus profanatis, populos totius regionis male tractando, defessus potius quam satius est. Facit ad hoc illud, quod visi Leonis ostentum, belli principium conjectores atque augures tradunt indicare, quod quidem eleganti trimetro apud Græcos^a exprimitur.

Μεάνταξ ιδεῖν δυσμενῶν δηλοῖ μάχας.

Visa Leonum imagines noctu indicant occidionem ab hostibus.

RÉGIUM AUGURIUM. CAP. XVIII.

Alioqui Regibus augurium dare Leones soliti sunt, ut is qui Juliano Imperatori Gordiani tumultum cum exercitu prætergresso, sese obtulit, immanissimo corpore ejus aciem invasurus, à qua multiplici telorum ictu confosus est. Obitus enim Regis ex hoc portendebatur, inquit Ammianus. Verum antea Maximino Cæsari cum Narseo Persarum Rege jam congressuro, itidem Leo & Aper ingentes trucidati simul oblato sunt, tamen evenit, ut is ea fera admodum gente superata, incolumis & sine damno discesserit. Et Sandrocotus Indus obscuro genere, cum Alexandri furorè pedum pernitate declinasset, fessusque somnum in sylvâ captaret, à lambente Leone sudorem sibi sensit abstergi, quoque pacto inde præfectis Alexandri oppressis, Indiæ regnum invaserit, à Trogo traditur.

ANNUS MENSESQUE. CAP. XIX

ET quoniam incidimus in auguria non abs re fuerit commemorare, quod Lænx, quæ catulos ^{Leona casta} octo utero gestabat, à venatoribus in Mesopotamia cæsa exenterataque, quo tempore Apollo ^{in Mesopotamia quid.} in Tyaneus ea iter faciebat, indicavit eo interpretante, annum unum & menses octo illum apud Barbanem Babylonix moraturum. Interrogantibusque comitibus, cur non potius annos IX. interpretaretur, cum ex passere & pullis octo à Serpente devoratis, apud ^b Homerum annos itidem novem Calchas intellexisset: *Editi jam illi fuerant, respondit Apollonius, si vero adhuc in utero nondum saturam compleverant: quare mensibus potius quam annis assimilantur.*

CRAPULA. CAP. XX.

Sunt enim qui hominem ad fatietatem usque crapulatum, per Leonem frustra carniū depascentem indicari velint. Animal siquidem hoc cibo incontinenter admodum utitur, multaque ^{Voracitas Leonis.} devorat solida, sine ullo dissectu quæcunque potest, mox à saturitate nihil biduo aut triduo edit: quam scilicet voracitatem Juvenalis tangit, ubi *multa pascendum carne Leonem*, dixit: atq; inde fit, ut gravis illi ob cruditate exhalet anima, quæ teterrimi semper odoris est. Quocirca nonnulli gravem animam

a Nempe à Suida recitatur Euseb. Chil. 3. cont. 6. proverb. 58.